

od  
heli. Min

1/2  
2/2  
3/2  
4/2  
5/2  
6/2  
7/2  
8/2  
9/2

+



Series.  
Tractatorum et Dissertationum  
quas. continet.  
Vol. II.

- 1) De Privilegio Saxonico de non appellando  
ad terras - Misnicas, Thuringicas, et Francoicas  
extendendo. Praef. Joh: Fridr: Heesep. Resp:  
Joh: Christian Warts. cum Prozo Joh: Sap: Braunshelli  
qui privilegium Saxonicum de non appellando etiam quoad  
subditos supplicatum similitas referre ad summa Imperii  
tribunalia excludere optendunt.
- 2) De iustitiis. P. R. F. Comitum cum primis Wettin  
vicorum et Saxoniarum pty ex Franconicis. Hohenloer  
eorum conventionibus. Praef. Dietr: Herm: Kon-  
nerich. Resp: Joh: Lud: Scherer. Emerg. Jeanne Kon-  
nerich.
- 3) Differentias Jurium in Praedictoria Jurisdic-  
tionem Nobilium Dan. Vithorisch. Gyllen. ad Nov. XX. et  
P. Joh: Petrus Ludew: Resp: Alb: Jac: Bueker Halachator.
- 4) De Aedificiis Praedi nobilis von Vithorisch. Praef.  
Petr: Kuller. Resp: Fr: Christoph: Boppmeier.
- 5) De Testamentis Episcoporum Germaniae Ps: Christian: Gold-  
bader. Resp: David Guther.
- 6) De Anglicanellaris. P. R. F. observations miscella-  
neas Praef. J. Gerr: Franc: Fri: Helmerstruempel.  
Resp: Jul: Christ: Quadmann etfordiae habitas.
- 7) Commentatio de Jure Imperii Sive Cenosis et  
indignis Imp: magis pleno et inefficaci in Germania habita  
J. Christ: Henr: Eickard. Praef. Christ: Melchroy.  
Resp: Casp: Alb: a Drey. Jeanne habitas.
- 8) De Investiturae renovat: Praef. Christ: Melchroy.  
Resp: Casp: Alb: a Drey. Jeanne habitas.
- 9) Notitia Juris Feudalis Dan. Norvegiae Praef.  
Christ: Gott: Buder. Rp: Fridr: Xp: Sever. cum Prozo.  
de Feudis - bursford. Joh: Lud: Eigan.

- 10) de Remissione Feloniae Factae. Pp: Guif: Hier:  
Brunon: Rp: Georg Phil: Stenzer.
- 11) de venatione Pecuniarum seu quoad Jagdz  
Rp: Petr: Muler. Rp: Paul Georg Kater.
- 12) de Jurisdictione Superiori Jure alta et Inferiori seu bassi  
Rp: Georg Engelrecht. Rp: Joh: Joach: Boden:  
Helmstadii habita.
- 13) de Praestationibus Galliarum seu Jure Jure  
Rp: Georg Ferd: Deinlin. Rp: Jac: Christ:  
Aelshafen. Altorffii habita.
- 14) de Jure custodiendi redditus vacantis beneficii  
Rp: Just: Henr: Boehmer. Rp: Georg  
Dav: Eguochet.
- 15) de Jure primi fori Rp: Georg Estor.  
Rp: Elias Feld: de Boeker.
- 16) de Jure Provincialibus Jagonicis. Pp:  
Cass: Arch: Beck Resp: Joh: Paul: Voetel.
- 17) de Jure anagnibus Rp: M: Tob: Eckhard  
Rp: Christ: Henr: Eckhard: in Gymnasio quedia-  
burgensi habita.
- 18) de Jure episcopatus non fuisse. Arde  
sub Rom: Styrnio habita a Justo Henr: Boehmer.
- 19) Causae Joh: Jac: de Jurisprudentia Principum  
Ordinum. P. 1. 2. 3.
- 20) de Pupis. Joh: Georg. de Adoptionibus et  
Emancipationibus Principum.

47:

ab

8 bay

ich

nefr

r.

?


d


16


bm.

um

el









6.

DE  
ARCHICANCELLARIIS  
SACRI ROMANI  
IMPERII  
OBSERVATIONES MISCELLAE

QVAS  
INDVLGENTE  
ILLVSTRI ICTORVM ORDINE  
IN ALMA HIERANA

MODESTO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIVNT

PRAESES

D. GEORG. FRANC. FRIDERIC.  
HELMERSHAVSEN

ET  
RESPONDENS  
JVLIVS CHRISTIANVS KVNDMANN  
Wratislav. Silef.

IN AVDITORIO ICTORVM MAJORI  
AD DIEM V. AVGVSTI M DCC XL.

ERFORDIAE,  
Litteris JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

4

REVISED  
AT CHICHESTER  
SACR. ROMANI  
ASSEMBL. FRANCISCO  
DEKRETTEN VON  
I. B. DE W. R. SHERBURN  
ECCLES. METROPOL. ET CATHEDRAL. S. M.  
CANTONIA. TUBINGEN. P. 1848.  
LONDON. G. B. S. P. 1848.  
D. O. M. I. N. O. S. A. D.  
GRATISSIMO  
THEO. DE. CATH. S. M. S. P. 1848.




REVERENDISSIMO  
AC  
ILLVSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
ANSELMO FRANCISCO  
ERNESTO  
L. B. DE WARSBERG,

ECCLES. METROPOL. ET CATHEDRAL. MO-  
GVNTINENSIS, TREVIRENSIS ET SPIRENSIS RESP.  
PRAEPOSITO, CHOR-EPISCOPO ET CAPITVLARI,  
EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPI ELECTO-  
RIS MOGVNTINI A CONSILII INTIMIS ET ER-  
FORDIAE PRO-PRINCIPI,

MAECENATI  
ATQVE  
DOMINO SVO  
GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME  
AC  
ILLVSTRISSE  
PRO-PRINCEPS ET DOMINE,  
DOMINE GRATIOSISSIME,

X quo ad *Almam* hancce, quæ me olim  
benigne fovit, & nunc fovet redii,  
id sæpius meditatus sum, ut devotissi-  
mæ TIBI, DOMINE GRATIOSISSIME, mentis  
publicum aliquod extaret documentum. Sum-  
ma enim, qua cuncta moderaris, sapientia, quæ-  
que gratiam nunquam non habet comitem,  
cun-

cunctos, quibus TE, DOMINE GRATIOSIS-  
SIME, intueri felicissime contigit, in admira-  
tionem rapit, & ad devotum TVI cultum pro-  
vocat, quorum numero & ego inter sum. Per-  
mittas igitur, DOMINE GRATIOSISSIME,  
ut summa, qua fieri potest, animi veneratione,  
qualescunque hasce pagellas TIBI in devotis-  
simæ mentis signum offeram, ac ILLVSTRIS-  
SIMO TVO inscribam NOMINI, eaque simul  
ratione aliquam iisdem auctoritatem conci-  
liare studeam. Non equidem ignoro leviden-  
sè hocce scriptum summæ TVÆ dignitati, in  
qua sapientissimum TE collocavit numen, mi-  
nime respondere; à mediocris enim sortis ho-  
mine profectum, nec aliquid pretii habet, nisi  
ex summo TVO, cui dicatum, NOMINE ei-  
dem statuatur; sed generosus, quem omnes in  
TE suspiciunt, animus me sperare jubet, fore,  
ut qualemcunque huncce ingenii fœtum gra-  
tiose excipias, nec ut ad pedes TVAS eundem  
humillime reponam dedigneris. Quod si fe-  
ceris

*ceris summis me mactatum videbo honoribus,  
nec unquam fiet ut pro TE, DOMINE GRA-  
TIOSISSIME, quem cuncti fideles Erfordiae  
cives in deliciis habent, TVAque salute vota  
concupere intermitterem. Ceterum ut, DO-  
MINE GRATIOSISSIME, & in posterum  
summa TVA gratia me dignum censere velis,  
ac clientum TVORVM numero interesse si-  
nas, devota mente rogo.*

REVERENDISSIME AC ILLVSTRIS-  
SIME  
PRO-PRINCEPS ET DOMINE,  
DOMINE GRATIOSISSIME,  
REVERENDISSIMI AC ILLVSTRIS-  
SIMI  
NOMINIS TVI

Erfordiae d. 5. Augusti  
1740.

*devotissimus & subjectissimus cultor  
atque client*

D. Georgius Franciscus Fridericus Helmershausen.



DE  
ARCHICANCELLARIIS  
S. R. IMPERII  
OBSERVATIONES MISCELLAE.

§. I.



Archi-Cancellarii nomen (1) & officium  
Francis originem debere, & ab his ad  
Germanos fuisse derivatum, iis, qui re-  
rum gestarum studiis delectantur, haud  
incognitum esse puto. Constat enim  
ex Scriptoribus, qui regum Francorum  
gesta scriptis mandarunt, illos, qui regibus à secretis ef-  
sent, quique eorundem praecepta scriberent & secreta  
custodirent, *Cancellarios* (2) dictos, eum vero, qui hisce  
praesesset, ARCHICANCELLARIUM (3) titulo fuisse insigni-  
tum. Et hunc principem fere locum inter officiales  
palatinos obtinuisse & regis diplomatis vel ipsum  
subscripsisse, vel aliquem ex Cancellariis ejusdem vice  
(4) eadem recognovisse, tum illius aevi scriptores, tum  
plura diplomata abunde testantur. Cum vero ea esset  
A 2 illorum

illorum temporum ratio, ut nemo fere, nisi qui sacris ordinibus & clericorum numero adscriptus, literis, præsertim vero latinæ linguæ, operam daret, (5) evenit inde, ut & Cancellarii & Archi-Cancellarii munus solis Clericis fuerit demandatum & ad posterius, sequiori in primis ævo, (6) plerumque non nisi superiorum ordinum clerici admissi.

(1) conf. FRANCISC. LANOVIVS (de la NOÛE) in *Schediasm. de cancellarii nomine, officio & dignitate*. THVLEMARIUS de *Officior. c. XIII.* Archi-Episcopi appellationem nõvo Archi-Cancellarii titulo ansam dedisse, tradit MALLINKROT de *Archi-Cancellariis S. R. Imperii*, apud WENCKER in *Collect. Archiv. & Cancell. jur. p. m. 262. in su. Ill.* à LVDEWIG ad *A. B. Tom. II. p. 579.* existimat, circa ann. 700. Archi-Cancellarii nomen in usu esse cœpisse, & huic titulo occasionem dedisse, quod Cancellarii non ipsi suo functi fuerint officio, sed aliis diplomatum curam commiserint, qui solo cancellarii, vel Sub-Cancellarii, Vice-Cancellarii, aulæ Imperialis Cancellarii, &c. titulo fuerint insigniti, cum ex adverso supremus Cancellarius Archi-Cancellarii titulum gesserit. Obiter hic monendum TENZELIVM equidem in *Vind. Censur. Conring. Diplom. Lindaviens. Append. III. §. 3. p. 78.* opinari: Archi-Cancellarii nomen ante annum 801. Carolino stylo non respondere; sed Illustr. à LVDEWIG ad *A. B.* probatum dedisse, quod jam a. 700. in diplomatibus regum Francorum hoc vocabulum fuerit adhibitum.

(2) it. referendarios, notarios, scribas regios.

(3) Nec non summi Cancellarii, Archi- vel Proto-Notarii, Archi-Palatini. vid. DV FRESNE in *Glossario Observat.* MABILLONIVS de *Re diplom. Lib. II. c. 12. §. 14.* Majorem domus olim ea, quæ Cancellario incumbunt, expedivisse.

(4) Quo tempore ille mos cœperit, ut Cancellarius ad vicem



cem Archi-Cancellarii diplomatibus subscriberet, non factis expeditum. Extat tamen jam diploma Dagoberti, datum Moguntia pridie Non. April. anno regni XII. cui Henricus Cancellarius ad vicem Ricolfi Archi-Capellani subscripsit; ex quo colligi potest, quod jam circa finem seculi VII. hic subscribendi mos usitatus fuerit. Rationem hujus moris hanc fuisse putat Illustr. à LVDEWIG ad *A. B. Tom. II. p. 576.* quod Archi-Cancellarii mallent in diocesi sua degere, quam perpetuis negotiis in aula imperatorum regumque vacare. Ne vero memoria Archi-Cancellarii, facta hac mutatione, oblivione deleretur, ejusdem in subscribendis diplomatibus mentionem injiciendam fuisse. Cancellariis absentibus, vel impeditis, notarii plerumque vice illorum potius, quam Archi-Cancellariorum, diplomata recognoscebant, quamvis utriusque generis exempla affatim suppetant. vid. *MALINKROT. c. l.* apud *WENCKER. p. m. 264.* Interdum quoque Imperatores & reges absque Cancellarii subscriptione diploma concedebant. Ill. à *LVDEWIG l. c. p. 579.*

(5) vid. *FLEURY Hist. Eccl. Tom. XIX. in discurs. pralim. QVINQVERT. CAMER. qu. V. §. 9. p. 264. seq.* Aliam rationem exhibet *OCKEL de prescript. immemor. c. IV. obs. l. p. m. 180.* seculares sc. principes & nobiles viros, armis magis deditos, à negotiis civilibus scribendis & decidendis abstinuisse, vix enim tres vel quatuor inter centum homines equestres fuisse, qui vel nomen suum scribere poterint, contenti. quod signo quodam id exprimerent. Nec defunt, qui suspicantur, singularem regum erga ecclesiasticas personas venerationem in causa fuisse, ut tanta dignitas solis Clericis quaesita fuerit. Legi præterea merentur, quæ hac de re tradit *COCCEJVS in Jur. publ. prud. c. X. §. 3.*

(6) Ottone M. & sequentibus imperatoribus imperii fasces tenentibus, non nisi Archi-Episcopis Archi-Capellani vel Archi-Cancellarii munus fuit demandatum, præsertim in Germania. Nec de Germania contrarium aliquod

exemplum doceri potest, præter unicum Henrici, Ratisbonensis Episcopi, quod tamen extraordinarium & exigui temporis fuit. vid. MALLINKROT. apud WENCKER. p. m. 262. Contra ea Pipino & Carolo M. imperantibus per Diaconos, vel Presbyteros magis, si HINC-MARO Tom. II. p. 206. fides habenda, quam per Episcopos hoc officium executum fuit.

§. II.

Erat præterea in palatio regum Francorum *Archi-Capellanus*, qui etiam *Apocrisarius* (1) dicebatur, quique ecclesiasticis negotiis & palatii clero præerat. Hæc officia *Archi-Capellani* & *Archi-Cancellarii*, teste HINC-MARO (2) plane diversa erant, (3) alius enim *Archi-Cancellarii*, alius *Archi-Capellani* munus in aula regia obibat; qui mos diu servatus. Hinc etiam in diplomate Ludovici Infantis apud VGHYLLVM (4) *Reginalphus* *Archi-Capellanus* in contextu, in subscriptione vero *Ardingus* *Archi-Cancellarius* occurrunt.

(1) Dissentit DV FRESNE in *Glossario voc.* *Apocrisarius*, qui monet, *apocrisarium* genuina significatione eundem esse cum thesaurario; & LANOVIVS in *schediasm. de Cancellarii nomine, officio & dignit.* Hincmarum notat, quod *Capellanus*, seu palatii custodem, eundem cum *Apocrisario* faciat,

(2) *Epist. III. c. 13. & 16.*

(3) Licet id negent LEHMANN. in *Chron. Spirens. Lib. II. c. 7.* MALLINKROT. de *Archi-Cancell.* p. m. 223.

(4) *Tom. II. Ital. sacr. p. 125. seq.*

§. III.

Accidit tamen deinde, ut *Archi-Capellanus* haud raro *Archi-Cancellarii* officio simul fungeretur, (1) quod denique factum, ut *Archi-Capellani* & *Archi-Cancellarii*

rii nomina, præsertim in subscriptionibus diplomatum à regibus & Imperatoribus datorum, promiscue interdum fuerint adhibita. Et quidem imperatores & reges Carolingicæ stirpis quod attinet, vagum & inconstans sub iisdem Archi-Capellani nomen fuit. In subscriptione enim diplomatis Caroli Crassi apud DACHERIVM (2) & Ludovici Infantis apud VGHHELLVM (3) Archi-Cancellarii vox fuit usurpata cum tamen in aliis diplomatibus nonnunquam Archi-Capellani nomen occurrat. Quo loco notandum, calculum haud mereri ea, quæ tradit MABILLONIVS, (4) nullum sc. inveniri ante Carolomannum Italiæ regem, qui regis imperatorisque literis Archi-Capellani nomine subscripserint. Plura enim jam Caroli M. & Ludovici Pii diplomata (5) extant, quibus Archi-Capellani nomine subscriptum.

- (1) Sic Angibramnus sub Carolo M. Archi-Capellani & Archi-Cancellarii munus simul obiit. vid. BALVZIVS in notr. ad Capitular. Regg. Franc. Tom. I. p. 1047. LANOVIUS de sanctis Francie Cancellariis. Jam THOMASSINVS de Vet. & Nov. Eccles. discipl. Tom. I. Lib. II. c. 105. §. 2. & c. 106. §. 3. observat: Viros ecclesiasticos, qui apud Francos summo semper habiti in honore & gravissimis admoti consiliis, capellam regiam cum Cancellaria sæpissime conjunxisset. Illustr. à LVDEWIG ad A. B. Tom. II. p. 576. monet: Clericos sub regibus & imperatoribus Francicis id effecisse, ut Cancellarii munus pro munere ecclesiastico fuerit habitum; ex capella eisdem fecisset cancellarium, & inde Cancellarium Capellanum dictum. Et COCCEJVS in Jur. publ. prud. c. X. §. 3. affirmat, locum illum publicum, deliberandis & expediendis negotiis regni publicis destinatum, Capellam, postea Cancellarium dictum. Illustr. autem BOEHMER. in Jur. Eccl. Protest. Lib.

*Lib. III. Tit. 37. §. 31.* probe animadvertit: Cancellariæ regię præfecturam Archi-Capellanis, ut principatum primarium in aula gerentibus, simul fuisse demandatam, ipsum vero Archi-Capellanorum munus, qua tale, ad cancellariam regiam se haud extendisse. conf. etiam PFEFFINGER in *Vitriar. illustr. Tom. I. p. m. 1072.* OCKEL de præscript. immemor. p. m. 180.

(2) in *Spicileg. Tom. V. p. 396.*

(3) *Tom. II. Ital. sacr. p. 125.* qui etiam *l. c. p. 197.* plura exempla hac de re exhibet.

(4) de *re diplom. Lib. II. c. XI §. 6.*

(5) vid. PFEFFINGER. *Vitriar. illustr. Tom. I. p. 1076. seqq.* imo Illustr. à LVDEWIG ad *A. B. Tom. II. p. 579.* diploma Dagoberti exhibet, cui ad vicem Ricolfi Archi-Capellani subscriptum. vid. quoque MALLINROT. de *Archi-Cancellar. p. m. 223.*

#### §. IV.

Extincta stirpe Carolingica, cum Conradus I. imperii fasces teneret, nunquam Archi-Cancellarii, sed Archi-Capellani vocabulum constanter in Diplomati-  
bus adhibitum fuisse probat Reverendissimus Abbas GOTTWICENSIS, GODEFRIDVS, (1) id quod etiam de Henrici I. Aucupis diplomati-  
bus monendum, nisi quod unicum ejusdem diploma reperimus apud BENEDICTVM de TOVL, (2) datum super villa Gundulfi, cui Ruotgerus Trevirensis Archi-Episcopus tanquam Archi-Cancellarius subscripsit. In Ottonianis diplomati-  
bus Archi-Capellani vocabulum rarissimum esse, & in plerisque Archi-Cancellarii, vel Archi-Episcopi nomen apparere, opinatur quidem Reverendissimus Abbas GOTTWICENSIS; (3) sed ex cunctis, quæ scriptores (4) exhibent, Ottonum diplomati-  
bus, satis elucet, frequens omnino tunc temporis in subscriptionibus

nibus Archi-Capellani nomen fuisse. Sub Henrico II. promiscua fuere Archi-Capellani & Archi-Cancellarii vocabula, quamvis Archi-Capellani nomen in subscriptionibus magis fuerit usurpatum.

(1) *In Chronic. Tom. I. P. I. p. 131.*

(2) *In Hist. Eccl. & Polit. Civit. & Dioces. Tullens. p. 18.*

(3) *In Chronic. Tom. I. P. I. p. 222.* licet idem l. c. p. 179. asseruerit: Utrumque nomen in Ottonianis diplomatis pro synonymis fuisse usurpatum, ex eo nimirum, quod Archi-Capellanus gesserit officium Archi-Cancellarii per seculum potissimum decimum observante MABILLONIO *de re diplom. Lib. II. c. XI. §. 18.* & id ipsum jam sub Franciscis Imperatoribus secundæ stirpis contigisse.

4) e. g. PFEFFINGER, *in Vitriar. illustr. Tom. I. p. 1081-1084.* Auctor QVINQVERT, *CAMER. qu. V. §. 29. seqq. p. m. 286.* MEIBOMIUS *in scriptor. Rev. Germ. Tom. I. p. 744. seqq.* KYRIANDER *Annal. Trevirens. P. XI. p. m. 95.* LEVCKFELD *in Antiquitat. Gandersheim. c. XIV. p. 98. seqq.*

#### §. V.

Sub Conrado II. Salico bina hæc vocabula promiscue iterum adhibita fuisse, ita tamen ut Archi-Cancellarii vox crebrius occurrat, tradit quidem Reverendissimus *Abbas* Gottwicensis; (1) sed de eo merito ambigendum, cum pleraque, quæ vidimus, hujus imperatoris diplomata Archi-Capellani nomine subscripta fuerint. (2) In subscriptionibus diplomatum ab Henricis III. IV. & V. Imp. datorum nunquam fere Archi-Capellani vocem reperiri, sed semper Archi-Cancellarii vice diplomati subscriptum fuisse itidem docet Reverendissimus *Abbas* GOTTWICENSIS. (3) Ast plura adsunt Henrici III. & IV. Imp. diplomata, quibus non

B

Archi-

Archi-Cancellarii, sed Archi-Capellani nomine subscriptum. (4) De Henrici V. vero & Lotharii II. diplomatibus ea quæ antea dicta sunt vera esse puto, nisi quod in diplomate Argentinensi Lotharii Saxonis de an. 1129. (5) Archi-Capellani vox in subscriptione legitur. Et post hæc tempora Archi-Capellani nomen in diplomatibus vix deprehendes, (6) quin potius vero admodum simile videatur, sequenti ævo Archi-Cancellarii vocabulum in iisdem constanter fuisse adhibitum.

(1) *In Chronic. Tom. I. P. I. p. 258.*

(2) vid. PFEFFINGER. *Vitriar. Illustrat. Tom. I. p. 1085. seq. quinquert. Camer. qu. V. §. 37. p. m. 307. seqq.*

(3) *cit. loc. p. 274.*

(4) vid. PFEFFINGER. *l. c. p. 1086. QVINQVERT. CAMER. l. c. p. 310. seqq.*

(5) Apud OBRECHTVM in *Prodrom. Rev. Alsatic. p. 299.*

(6) Auctor QVINQVERT. CAMER. *qu. V. §. 10. p. m. 266.* monet sequioribus temporibus in subscriptione diplomatum Archi-Capellani vocabulum sensim fuisse omis-  
sum. Capellani tamen vocabulum legitur in subscri-  
ptione diplomatis à Conrado III. Imp. Ccenobio Nien-  
burgensi an. 1144. dato, apud KNAV. in *Antiquitat. Pag. 5 Comit. Princip. Anhalt. §. 84.* ibi: Ego Adelbertus  
*Capellanus* ad vicem Arnoldi Cancellarii recognovi.  
Quo loco simul notandum, quod ad Cancellarii non  
Archi-Cancellarii vicem, iudice Auctore QVINQVERT.  
CAMER. *l. c. p. 317.* diploma hoc fuerit recognitum.

S. VI.

Hoc autem Archi-Cancellarii & Archi-Capellani munus reges ac Imperatores pro arbitrio suo vel majoris vel minoris ordinis clerico demandabant, ut adeo hæc dignitas non certæ cuidam ecclesiæ perpetuo ad-

adhaereret jure. Utrum autem reges & Imperatores Germaniæ plures Archi-Capellanos aut Archi-Cancellarios uno eodemque tempore habuerint, adhuc valde inter eruditos disceptatur. Affirmantem sententiam præter SPENERVM (1) aliosque (2) imprimis tuetur Illustris MASCOWIUS (3) qui asserit sub Ottone I. pro imperii magnitudine plures simul fuisse Capellanos. Fridericum sc. Moguntinum, Rupertum Trevirenses, Brunonem Colonensem, & Heroldum Salisburgensem, & MALLINKROTIUM notat, qui (4) contendit hosce Præsules non una Archi-Capellanos fuisse; sed sibimet in eo munere successisse. Negantem contra ea defendit Reverendissimus Abbas COTTWICENSIS (5) & universalem semper Germaniæ consuetudinem fuisse tradit, ut non plures, sed unus solummodo Archi-Cancellarius esset, quamvis plures essent Cancellarii. Idem etiam, ne ullum hac de re dubium superesset ex historia regiminis Ottonis I. exponit, qua ratione factum fuerit, ut & alii Præsules illo tempore, quo jam summo ecclesiæ Moguntinæ Præsuli hæc dignitas, exclusis aliis, quæsitæ erat, hoc munus obierint; cujus sententiæ, quantum Germaniam nostram attinet, ideo quod fide monumentorum sustineatur, & nos subscribere nulli dubitamus.

(1) *In Jur. publ. Lib. II. c. IV. §. 4. not. (b)*

(2) Inter quos etiam Illustr. à LVDEWIG ad A. B. Tom. II. p. 587.

(3) *In Diss. de Orig. Officior. Aulic. S. R. Imperii §. 18.*

(4) *In tr. de Archi-Cancell. & Cancellar.*

(5) *In Chron. Tom. I. P. I. p. 132.*

§. VII.

Sed tandem evenit, ut splendidum illud Archi-Cancellarii munus Moguntinæ annecteretur sedi (1) & reliqui Præfules ab eodem penitus excluderentur. Quo autem tempore id contigerit, nondum satis expeditum. RVTGERVS zur HORST (2) jam sub Carolo M. id factum esse affirmat. SCHILTERVS (3) Ludovicum I. Regem Germaniæ Moguntino Germaniæ Archi-Cancellariatum adjunxisse autumat. Alii (4) Conrado I. imperante hanc prærogativam Sedi Moguntinæ obvenisse opinantur. Illustr. à LVDEWIG (5) sub fine demum regiminis Henrici I. circa annum 930. id evenisse tradit. Plerique alii, inter quos CONRINGIVM (6) MALLINKROTIVM (7) & Reverendissimum *Abbatem* GOTTWICENSEM (8) jam nominasse sufficiat, à Wilhelmo Moguntino Archi-Episcopo, Ottonis M. filio, Archi-Cancellariatus officium apud Sedem Moguntinam semper permanisse affirmant.

(1) An per modum perpetuæ commissionis, ceu loquitur Auctor QVINQVERT. CAMER. p. m. 345. Archi-Episcopatus Moguntino nunc adhæreat, aliis dijudicandum relinquo.

(2) *De Cancellar. Lib. I. c. 2. p. 12.*

(3) *In Inst. Jur. Publ. Lib. I. Tit. XX. §. 6. seq.*

(4) vid. Auctor QVINQVERT. CAMER. qu. V. §. 25. *seqq.* ubi docet, jam circa an. 910. Hattonem Moguntinum consilium de Archi-Cancellariatu Sedi Moguntinæ perpetuo jure quærendo cepisse, & statim post obitum ejusdem circa an. 913-917. effectum obtenti scopi apparuisse.

(5) *ad A. B. Tom. II. p. 587.*

(6) *de Official. Imper. §. 2.*

(7) *de*



(7) *de Archi-Cancell. & Cancell. p. m. 266.*

(8) *in Chron. Tom. I. P. I. p. 135.*

§. VIII.

Nostrum etsi non sit tantas componere lites, & in re tanti momenti aliquid definire, firmiter tamen persuasi sumus, tutissime hac in re illum acturum, qui sententiæ posteriori loco propositæ inhæret, quamvis eandem fabulis accenseat Illustr. à LVDEWIG. (1) Priores enim opiniones pluribus iisque sat gravibus dubiis obnoxias, imo historiarum monumentis penitus adversus esse, ii qui curatius easdem trutinantur facile intelligunt. Constat enim ex diplomatibus illius ævi, quod prius quam Wilhelmus, Ottonis M. filius Moguntinensis Archi-Episcopi dignitatem nactus fuerit, & alii Præsules præter Moguntinum Archi-Cancellarium munus in aula regum & Imperatorum Germaniæ obierint, post Wilhelmum vero serie demum haud interrupta Moguntini Archi-Cancellariatum administraverint, quamvis adhuc dubium, an legi expressæ (2) an vero consuetudine (3) saltem hæc prærogativa sit tribuenda.

(1) *ad A. B. Tom. II. p. 589.*

(2) quod quidem affirmant THVLEMARIUS *de Octovirat. c. XIII.* SPENER. *Oper. Herald. Lib. I. c. 64. §. 17.* sed privilegia ista, ad quæ SPENERUS provocat, quæque in Archivo Moguntinensi asservari dicuntur, nondum, quantum quidem scio, in lucem fuere producta.

(3) ceu vult Illustr. à LVDEWIG *ad A. B. Tom. II. p. 588.* qui opinatur, ideo diploma imperatorium hac de re non proflare, quod hocce jus ecclesiæ Moguntinæ per se, non vero ex imperatorum gratia competeret. Extincta enim stirpe Carolingica Archi-Cancellarium non amplius regis, sed imperii officialem fuisse.

## §. IX.

Scio equidem Illustr. MASCOVIO hanc, quam nunc probo, sententiam ideo displicere, quod jam ab Henrici I. ævo Moguntini Archi-Præfules Archi-Cancellarii dignitate semper clari fuerint, quamvis & alii clerici, tum eodem tempore, tum etiam post Wilhelmum eadem dignitate simul cum Moguntino gavisi fuerint; post Wilhelmum enim Colonienfes Piligrimum sc. & Herimannum Archi-Capellanos fuisse. Sed prius quod attinet, superius jam ostensum fuit, minus probabile videri quod Ruodbertus Trevirensis, Heroldus Salisburgensis & Bruno Colonienfis, quos Ottonis M. diplomatibus subscripsisse novimus, simul ac uno eodemque tempore cum Moguntino supremo Antistite Archi-Cancellarii munus obierint, circa posterius vero monendum Piligrimum & Herimannum non Germanici imperii, sed Italici regni Archi-Cancellarium sub Conrado II. gessisse.

## §. X.

Nec iis quæ jam dicta sunt obest, quod Germaniæ ac Italiæ regnum ita sint conjuncta, ut unius imperio pareant, adeoque, ex quo sedi Moguntinæ Archi-Cancellariatus dignitas annexa fuerit, nec in Germania nec in Italia alius præter Moguntinum illo munere fungi potuerit, eamque ob rem tum Moguntinus usque ad Friderici I. ævum in diplomatibus *aut* *1200* nullo alio vocabulo adjecto Archi-Cancellarius vocatus, tum etiam diplomatibus in Italia conditis, vel ipse subscripserit, vel Cancellarius ad ejus vicem id peregerit. Nemo enim rerum in imperio nostro gestarum adeo ignarus

rus erit, ut nesciat, Italiam, licet Germaniæ Imperatoribus simul pareat, in plerisque tamen separatas semper à Germania habuisse rationes, & liberio rem Imperatorum in Italia regenda, quam in Germania administranda fuisse potestatem, qua ratione etiam factum, ut quamvis, Ottone M. imperante, Wilhelmus ejusdem filius Moguntinæ ecclesiæ, exclusis aliis, imperialis Archi-Cancellarii dignitatem quæsierit, nec postea in Germania alius quisquam hoc munus subire ausus fuerit, in Italia tamen aliter omnino res se habuerit. Licet enim & in Italicis terris Archi-Cancellarii munere functus fuerit Archi-Præsul Moguntinus, cujus rei fidem faciunt tot diplomata, & in Italia & de rebus Italiæ condita, (1) ac vel ab ipsis Moguntinis Archi-Episcopis vel ad eorum vicem à Cancellariis subscripta, eo tamen res nunquam perducipotuit, ut & in hoc regno, sicuti in Germania id factum, alios Præsules ab Archi-Cancellarii dignitate penitus excluderent, quin potius ex vastis operibus VGHILLIANIS, quæ sub Italiæ sacrae nomine prostant, apparet, etiam post Ottonis M. imperium plures alios præter Moguntinum Archi-Cancellarii munere in Italia functos fuisse. (2)

(1) conf. *Chronic. GOTTWIGENS. Tom. I. p. 121. & 122.* quo loco Reverendissimus Auctor simul monet, circa Ottonis III. tempora peculiare Italici regni Archi-Cancellarios forsân fuisse constitutos.

(2) vid. *QUINQV. CAMER. qu. V. §. 33. p. m. 296. seqq.*

§. XI.

Attamen & Italiæ Archi-Cancellarii dignitas, vaga hæctenus, nec cuiquam ecclesiæ annexa, Colonienfi tandem

dem cessit ecclesiae. (1) Dubii quidem adhuc plerique hærent, quo tempore insignis hæc contigerit mutatio. Non enim defunt (2), qui affirmare haud ambigunt, circa ann. 913-917. conventionem aliquam fuisse initam, vel aliud quid actum, quo mediante Moguntino Archiepiscopo Germaniæ, Trevirensi Galliæ, Coloniensi Italiæ Archi-Cancellariatus fuerint concessi. Imo altius adhuc ascendit STRAVCHIVS (3) & ad Caroli M. ætatem Moguntini Archi-Cancellariatus originem refert. Alii (4) contra ea Henrici V. alii (5) Lotharii II. alii (6) Friderici Demum I. Barbarossæ beneficio splendendam Archi-Cancellarii Italiæ dignitatem Coloniensis obvenisse ecclesiae existimant. Sed si dicendum quod res est, PFEFFINGERI opinio ad verum proxime accedere videtur. Nititur enim auctoritate scriptoris cœvi, *Chronographi sc. Saxonis* (7), nec ullum, quantum equidem scio, diploma imperatoris Lothario II. anterioris prostat, quod ad Coloniensis, ut Italiæ Archi-Cancellarii vicem fuerit recognitum. Provocat equidem MALLINKROT (8) ad diploma Henrici V. quod apud GEWOLDYUM (9) extat, in cuius calce legitur: *Adelbertus Moguntinus Archi Episcopus, Fridericus Coloniensis Archi Episcopus. Ego Fridericus Coloniensis Episcopus & Cancellarius recognovi.* Ast ex hac subscriptione pro adstruendo Coloniensis Præfulis Archi-Cancellariatu nihil omnino potest elici. Nec enim in eadem de Italia nec de Archi-Cancellariatu, sed Cancellarii saltem munere aliquid legitur, unde merito colligas, Fridericum Coloniensem, non ut Archi-Cancellarium, sed Cancellarium, nulla equidem Archi-Cancellarii

larii facta mentione, huic diplomati subscripsisse. Singulare tamen quod in diplomatibus prioribus à Coloniensibus Archi-Episcopis ut Archi-Cancellariis recognitis titulum Archi-Cancellarii imperialis per Italiam vix adhibuerint, sed Italici regni, aut Italiæ Archi-Cancellarios sese vocaverint (10) cum ex aduerso Archi-Præfuli Moguntino in subscribendis diplomatibus semper fere arriserit imperialem se dicere Archi-Cancellarium. Quæ cum ita se habent, inquisitione forte haud indignum foret, an statim Lothario II, regnante Coloniensis Archi-Cancellariatus pro imperiali Cancellariatu fuerit habitus, & ad imperii quoque negotia pertinuerit, an vero sequiori demum ævo particularis regni Italici Archi-Cancellariatus in imperialem commutatus Archi-Cancellariatum, & ad imperialia quoque extensus fuerit negotia.

- (1) Imperatores exemplum Leonis IX. Pontificis, qui teste ÆGID. GELENIO *de admir. magnit. Coloniens. Lib. III. Synr. I. §. 2.* Coloniensem Archi-Episcopum ao. 1094. perpetuum ecclesiæ Romanæ Archi-Cancellarium creaverat, secutos esse, & perpetuum Italiæ Archi-Cancellariatum eadem ratione paulo post in Colonienses Archi-Myllas transtulisse plures affirmant. vid. WENCKERT *Collect. Archiv. & Cancellar. jur. p. m. 276. seqq.*
- (2) vid. Auctor QVINQVERT. CAMER. *qu. V. §. 30. p. 287. seqq. & §. 48. p. m. 327.*
- (3) *Dissert. Exot. II. §. 8. p. 53.*
- (4) conf. MALLINKROT. *de Archi-Cancell. p. m. 273.* COCCÉJVS *in Jur. publ. prud. c. X. §. 8.*
- (5) PFEFFINGER *in Vitriar. illustr. Tom. I. p. 1070.*
- (6) Illustr. à LVDEWIG *ad A. B. Tom. II. p. m. 594.*
- (7) in LEIBNITII *Access. Histor. ibi ad ann. 1132. hæc leguntur: Rex (Lotharius II.) celebravit assumptionem S. Mariæ*

ria in Werzeburch, & inde cum exercitu Longobardorum fines intravit. *Et quia Archi-Episcopus Coloniensis defuit, qui jure debet esse Cancellarius in illis partibus, Norbertus Archi-Episcopus Magdeburgensis huic officio deputatus est.*

(8) *l. c. p. m. 279.*

(9) *de Septemvir. c. VI. n. 70.*

(10) *vid. diplomata apud Auctor. QVINQVERT. CAMER. l. c. p. m. 321. seqq.*

§. XII.

Tertius denique hinc accessit imperii Archi-Cancellariatus, cum Trevirorum Archi-Episcopus Gallia (1) & Arelatenfis regni Archi-Cancellarius constitueretur. Quo tempore id factum, an Friderico I. imperante, an Friderico II. aëvo (2), an sub regimine Ludovici Bavari, an denique Carolo IV. imperii fasces tenente, nondum satis expeditum, nec prolixè hic exponere satagit. Non tamen diffitendum, quod jam ante conditam à Carolo IV. auream bullam dignitas hæc Trevirensi obvenerit ecclesie (3), quamvis diplomata aurea Bulla antiquiora, in quibus Archi-Cancellariatus hujus mentio fiat, rarius occurrant. (4)

(1) Quo sensu Trevirensis Gallia dici possit Archi-Cancellarius exponunt MARQVARD. FREHERVS *ad PETR. de ANDLO Lib. II. c. I. p. 164.* LIMNEVS *in Jur. publ. Tom. I. Lib. III. c. V. §. 1.*

(2) Utroque Friderico regnante Arelatenfis regni Archi-Cancellariatum adhuc penes Archi-Episcopum Vienneensem fuisse ex diplomatibus probat MALLINKROT. *de Archi-Cancell. p. m. 283. seqq.*

(3) BROWERS *in Annal. Trevirens. Lib. XVII. p. m. 989. ad ann. 1332.* refert: Ludovicum Bavarum Trevirensi ecclesie officium & prærogativam Archi-Cancellariatus regni

gni

gni Arelatenfis & Galliae ftabiliviffe. Et Carolum IV. Imp. Balduino Trevirenfium AEpifcopo ao. 1354. privilegium induliffie: Ut in Gallia vel Arelatenfi regno Cafare agente vel imperatore, penes ipfum atque fucceffores custodia effet figni annulive fanctioris, quo edita publicaue refcripta, literae atque diplomata principis nomine confici fignarique folent.

- (4) vid. PEEFFINGER *ad Vitruv.* Tom. I. p. 1050. Diploma ao. 1356. adeoque eodem anno, quo Aurea Bulla confecta, Metis conditum, & Limburgenfibus à Carolo IV. Imp. conceffum allegat BROWER. *l. c. p. m. 1015.* ubi hæc fubfcriptio: Joannes D. G. Lucenfis Epifcopus, facrae imperialis aulae Cancellarius, *vice Reverendi in Chrifto patris ac Domini Boëmundi Trevirenfis Archi-Epifcopi* recognovi; testes Boëmundus Trevirenfis, Gerlacus Moguntinus, Wilhelmus Colonienfis.

§. XIII.

Ordinato itaque hac ratione triumvirali Archicancellariorum imperialium collegio, eoque per Auream Caroli IV. bullam magis magisque ftabilito, nemo pofttea aufus fuit ad tantam adfpirare dignitatem. Cur autem illa hifce, non aliis Præfulibus, in perpetuum cefferit, variae à doctis in medium proferuntur rationes. Sunt enim (1) qui autumant, antiquitatem & nobilitatem Moguntinae, Trevirenfis, & Colonienfis ecclefiarum præ ceteris Germaniae Epifcopatibus in caufa fuiiffe, ut hanc prærogativam nafti effent. Vetus enim temporibus femper horum præcipue trium Epifcoporum in omnibus imperii negotiis rationem quam maxime habitam fuiiffe. Alii (2) vero præter antiquitatem & nobilitatem ad fitum horum Epifcopatuum provocant, eumque fimul acquirendae huic digni-

dignitati anſam dediſſe tradunt. Noto enim notius eosdem in illa conſtitutos eſſe provincia, in qua ſimul Archi folium imperatorum deprehendebatur, quæque inter omnes prima habebatur, & inde non mirandum eſſe quod præ ceteris Germaniæ Præfulibus ad hocce munus adſpiraverint, ſuorumque denique votorum facti fuerint compotes. Vicinitas quoque locorum, & quod eorum diœceſes ab Archiſolio imperatorum, Aquisgranenſi ſc. urbe, haud procul remotæ, adeoque ipſi adminiſtrandis Cancellariæ negotiis præ aliis Præfulibus ſine inſigni eccleſiarum ſuarum diſpendio vacare poſſent, haud parum feciſſe videtur, ad dignitatem hancce ſingulari jure iisdem tribuendam. (3)

(1) vid. ONVPHR. PANVINIVS *de Comitibus Imper. c. VI. §. 27.* inprimis de Trevirenſis Archi-Cancellariatu monet BROWERVS in *Annal. Trevirenſ. Lib. XVII. p. m. 1009.* eum Trevirenſi eccleſiæ Carolum IV. Imp. ob eximiam prærogativam laudemque vetuſtatis denuo ſtabiliviſſe.

(2) Illuſtr. à LVDEWIG ad *A. B. Tom. II. p. 588.*

(3) An non etiam Primatus, quem hi Præſules in Francia regno obtinebant, iis hanc dignitatem præ aliis conciliaverit, aliis dijudicandum relinquo. De Moguntino ſummo Præſule rem omni plane dubio carere exiſtimo. conf. de Primatu Moguntini Illuſtr. MASCOVII *diſſ. de primatibus, Metropolitanis & reliquis Episcopis eccleſiæ German. §. 20.* Ceterum recte obſervat Auctor QVINQVERT. *qu. V. §. 51. p. m. 333.* à vero illos plane aberrare, qui Archi-Cancellarii dignitatem ab electorali repetunt; illam enim hac antiquiorem eſſe ex hitoriarum monumentis liquido apparet.

#### §. XIV.

Priusquam vero ulterius progrediamur, id adhuc animadvertendum erit, quod communicato cum Coloniienſi



Ionienſi Archi-Præſule Italiae Archi-Cancellariatu, ſum-  
 minus Moguntinenſium Præſul & alio omnino in ſub-  
 ſcribendis imperatoriis diplomatibus uſus fuerit titu-  
 lo. Cum enim antea nemo niſi ſolus Moguntinus in-  
 ter Germaniæ Præſules imperialis Archi-Cancellarii  
 munus gereret, ſolo quoque imperialis Archi-Cancel-  
 larii titulo utebatur. (1) Aſt ex quo & Agrippinenſis Ec-  
 cleſiæ Archi-Præſuli, ex ſingulari Imperatorum bene-  
 ficio, Archi-Cancellarii officium in Italicæ regni parti-  
 bus conceditum, è re ſua eſſe duxit Archy-Myſta Mo-  
 gutinus, Germanici regni, quod principem illud inter-  
 ditiones Imperii Romano-Germanici obtineret locum,  
 in ſubſcribendis regiis imperatoriisque literis mentio-  
 nem facere, & Germaniæ, vel S. R. I. per Germaniam  
 Archi-Cancellarium ſe vocare. Antiquiſſimum, ni fal-  
 lor, in quo hunc titulum videre licet, diploma depre-  
 henditur apud GEWOLDVM (2) Conditum illud fuit à  
 Friderico I. Barbaroſſa ao. 1153. & in ejuſdem calce le-  
 gitur: Ego Joannes, imperialis aulae Cancellarius, vice  
*Conradi Moguntinenſis ſedis Archi-Epiſcopi & Germaniæ  
 Archi-Cancellarii* recognovi. Coloniensis ex adverſo  
 Archi-Præſul Archi-Cancellarii regni Italicæ, titulum  
 Moguntino indulgente Archi-Epiſcopo, ſibi ſumebat,  
 & primum, quod hunc titulum exhibet, diploma, le-  
 gitur apud CHAPEAUVILLIUM (3) itidemque à Fride-  
 rico I. Imp. ao. 1155. conditum, in quo hæc ſubſcriptio  
 deprehenditur: Ego *Arnoldus Coloniensis Episcopus & Ita-  
 lici regni Archi-Cancellarius* recognovi.

(1) vid. ſupra ſ. X.

(2) ad HVNDII *Metrop. Salisburg. Tom. I. p. 377.*

(3) *Tom. II. Rer. Leodiens.*

## §. XV.

Quis itaque non videt immutatam fuisse sæpius, quod ad Archi-Cancellarios attinet, pristinam imperii formam. Antiquissimis temporibus unum solum Archi-Cancellarii munere fungi videbas, sequiori ævo inter plures imperialis cancellariæ regimen divisum intelligis. Istis seculis nulli Ecclesiæ Archi-Cancellarii munus annexum; recentiori autem ævo solis Moguntinensium, Trevirensium & Coloniensium Ecclesiis, exclusa quæcunque alia, adhæret; quæ an & nunc ita se habeant, nec ulla iterum hac in re contigerit mutatio, inferius indagabitur. Hoc loco potius disquirendum, quibus limitibus, admissis pluribus ad regiæ Cancellariæ gubernaculum, cujusvis Archi-Cancellarii potestas fuerit inclusa. Nimis prolixum autem foret, & ab instituto nostro alienum, si de cunctis, quæ ad Archi-Cancellarii munus spectant, fusius hic differere vellemus; quare de subscriptione saltem & recognitione diplomatum ab Archi-Cancellario peragi solita, erimus solliciti.

## §. XVI.

In diversas autem docti hic abeunt partes; alter enim ex negotiorum qualitate, alter ex loco in quo diploma conditum, recognitionis munus æstimatum fuisse censet. Priorem opinionem præter alios Auctor QUINQVERTII CAMERALIS (1) acriter propugnat, nec eidem ad stipulari hæsitaremus, si ex gentium moribus, & politiæ regulis, non historiarum monumentis res dijudicanda foret. Quem enim latet, & hodie in aulis imperantium, qui pluribus regnis imperio præsunt, qui-

quibusque adeo plures Cancellarii vel Archi-Cancellarii ad latus hærent, officii hujusce partes, posthabito omni locorum discrimine, ex sola negotiorum qualitate æstimari. Alteram opinionem plerique defendunt, & intrepide affirmant, stabilito perpetuo Moguntini Archi-Cancellariatu, & aliis quoque Præfulibus ad istam dignitatem admittis, potestatem imperatorum literas recognoscendi & subscribendi nunquam non ad illius regni Archi-Cancellarium spectasse, in quo imperator, cum diploma conderet, degebat. Alii denique sunt qui media incedunt via, & diversa distinguenda monent tempora. Alia enim Ottonibus reliquisque regibus & imperatoribus Saxonicae stirpis, imperii fauces tenentibus, obtinuisse, alia Suevicae gentis imperatoribus placuisse, tradit MALLINKROTIVS (2). Illorum enim imperatorum ævo Italicas res Archi-Cancellarium istius regni curasse, Germanicis, etiam trans Alpes agente Cæsare, Moguntinum intendisse. Contra ea his regnantibus Germanici & Italici Archi-Cancellarii differentiam in illo constituisse, ut imperatore in Germania existente, Cancellariæ regimen, & literarum expeditionis suprema inspectio ad Moguntinum, utpote Germaniæ Archi-Cancellarium spectaverit, non facto inter negotia, sive Italica sive Teutonica illa essent, discrimine, idemque obtinuisse in Coloniensi, quoties in Italia imperator cum curia sua versatus esset. Erecto denique triumvirali Archi-Cancellariorum collegio, itidem non ex negotiorum qualitate, sed ex sola Cæsareæ demorationis differentia deinceps dependisse, cujus de tribus recognitionis essent partes.

(1) qu.

(1) *qu. V. §. 31. p. 292. §. 47. p. 321. §. 48. p. 324. seq.*

(2) *de Archi-Cancellar. p. m. 269. 275. §. 281. conf. etiam coc-  
CEJI Jur. publ. prudent. c. X. §. 7.*

§. XVII.

At nec hac ratione rem plane confici opinor; vero enim similis videtur mihi, quod stabilito semel perpetuo Archi-Præfulis Moguntini Archi-Cancellariatu, tanta fuerit ejusdem auctoritas, ut admissis licet in Italia aliis quoque Archi-Cancellariis, & indulto Coloniensi ac Trevirensi Italiæ, Galliæ & Arelatenfis regni Archi-Cancellariatibus, integrum tamen eidem & postea fuerit, tum in Italici regni partibus, tum & in Gallia & Arelatenfi regno Archi-Cancellarii munere defungi, adeo ut reliqui Archi-Cancellarii in consortium tantum admissi videantur, ipse vero universalem semper per omnes imperii ditiones gesserit Archi-Cancellariatum. Quid? quod ex plurium magni nominis virorum (1) iudicio res eo deducta, ut solus hodie Celsissimus Elector Moguntinus Archi-Cancellarii jura, excluso quocunque alio, in universum exerceat, reliquis autem ecclesiasticis Electoribus, nil nisi pristini juris schema, titulus sc. supersit. (2) Sancte tamen testor, me, dum hæc scribo, neutiquam eo audaciæ procedere, ut splendidæ Trevirensis & Coloniensis Electorum dignitati, aut eximiis summorum horum principum juribus aliquid detrahere vellem; devota enim mento tanta imperii decora veneror; nec ea me unquam capiet dementia, ut de tantorum principum juribus meo omnino qualicunque iudicio aliquid statuere auderem. Nec tamen vitio mihi verti posse crederem si in ea, quæ

que ab aliis publice jam propofita, leviter autem tacta necdum fatis expedita deprehendo, curatius inquirō, eorumque veritatem ex hiftoriarum monumentis eruerē studeo; qua spe frerus propediem b. c. d. univerſalem Celfiffimi Electoris Moguntini Archi-Cancellariatū alio ſpecimine probatum dabo, anguſtum enim paginæ ſpatium id jam prohibet. Hic in antecēſſum monuiſſe ſufficiat, teſte BROWERO (3) Electorem Moguntinum contra Trevirenfem Archi-Cancellariatus jura in Gallia Belgica prætendentem obtinuiſſe.

(1) vid. Illuſtr. BOEHMER. in diſſ. de Epifcopo Vice-Cancellar. imper. c. I. §. 23. STRUVIUS in ſynt. Jur. publ. c. IP. §. 17, qui monet, licet plerique tradant, ſi imperatorem curiam in Italia habere contingat, tunc jura Archi-Cancellariatus in univerſum competant Colonienſi Electori, vix tamen credendum tunc etiam Electorem Moguntinum juri ſuo ceſſurum. Diſſentiunt tamen præter alios COCCEJVS in Jur. publ. præd. c. X. §. 7. MALLINKROT de Archi-Cancell. p. m. 280. Auſtor QVINQVERT. CAMER. qui tamen obſervat rationem ſtatus imperii noſtri omnino poſtulare ut Archi-Cancellariatus Celfiffimi Electoris Moguntini, quantum fieri poteſt extendatur.

(2) vid. MULZIUS in Repraſ. Majeſtat. imper. P. II. c. 28. §. 3. n. 39. RVLANDVS de commiſſ. P. II. lib. V. c. 4. SCHILTER. Inſt. Jur. publ. lib. I. Tit. XX. §. 6. ſeqq. LIMNÆVS in Jur. publ. Tom. I. Lib. III. c. V. §. 1. STRUVIUS in ſynt. Jur. publ. l. c.

(3) Annal. Trevirenf. Lib. XVII. c. 79.

§. XVIII.

Animadverſione quoque dignum, quod Cancellarii regni Germanici (1) etiam diplomatibus, in ipſa

D

Italia

Italia datis, ac vel Germanica vel Italica negotia concernentibus, subscripserint. (2) Sic diploma (3) de an. 1027. Romæ datum Udalricus (Basileensis Episcopus & Germanicus Cancellarius) recognovit; & diplomati (4) concesso monasterio S. Petri Vincentin. de an. 1055. Veronæ Güntherus (Episcopus Bambergensis & Cancellarius Germanicus) vice Herimanni subscripsit; ex quo posteriori diplomate simul apparet, interdum quoque Germanicum Cancellarium ad vicem Archi-Cancellarii Italici diplomata recognovisse. Herimannum enim Coloniensi ecclesiæ præfuisse & Italici regni Archi-Cancellariatum administrasse novimus.

- (1) Negat equidem MALLINKROT *de Archi-Cancellariis* p. m. 281. diversos Germanicarum expeditionum aulae cancellarios fuisse; sed sine sufficienti ratione, vid. *Cbron. GOTTWICENS. Tom. I. p. 221.*
- (2) *Illustr. a LVDEWIG ad A. B. Tom. II. p. 589.* existimat id inde factum esse, quod Italici regni status etiam decreta in Comitibus Germanorum condita observare tenerentur.
- (3) apud SCHATEN. *Annal. Paderboru. Lib. V. p. 471.*
- (4) apud MARGARINVM in *Bullar. Casinens. Tom. II. p. 87.*

§. XIX.

Singulare præterea, quod licet post Wilhelmum Ottonis M. filium foli Moguntino Archi-Episcopo Archi-Cancellarii dignitas, excluso quocunque alio, in Germania competierit, occurrat tamen diploma (1) de an. 1067. quod Ratisbonæ & sic in Germania, deinde Germaniæ Episcopo, Ellenhardo sc. Frisingensi, ac deni-

denique super rebus in Germania fitis datum, & tamen Italicum tum Archi-Cancellarium, tum Cancellarium in ejusdem subscriptione deprehendi. Gregorius enim Vercellensis Episcopus vice Colonienſis Archi-Epiſcopi, Annonis, illud recognovit, quod ſane παραδοξοι videtur. Attamen Reverendiſſimus Abbas GOTTWICENSIS (2) non ſine ratione conjicit, turbido illorum temporum ſtatui, quem Henrico IV. imperante in Germania fuiſſe novimus, & hanc tribuendam eſſe ſubſcriptionem. Nullum enim Archi-Cancellarium Italicum, ſive is Colonienſis ſive alius fuerit, & multo minus Italicum quendam Cancellarium unquam officio ſubſcriptionis vel in Germania vel circa diplomata, de negotiis germanicis data, uſum fuiſſe.

(1) apud P. MEICHELBECK. *Tom. I. Chron Friſing. p. 261.*

(2) in *Chronic. Tom. I. p. 294. ſeqq.*

§. XX.

Uterius monendum priſcis temporibus imperii Cancellarium non ſolum imperatorum ac regum Romanorum diplomata recognoviſſe, ſed & illis, quæ à reginis & Auguſtis dari ſolebant ſubſcripiſſe, & hoc officium Moguntinum Archi-Epiſcopum tanquam ſupremum imperii Cancellarium etiam obiiſſe. (1) Sed ex quo Imperatores Auguſtis id conceſſerunt, ut peculiarem haberent Archi-Cancellarium, eaque dignitas Fuldenſium Abbati perpetuo ceſſerit jure, quod an jam Ottonum ævo factum fuerit, ceu vult MALLINKRO-

D 2

TIVS,

TIVS, (2) non satis constat, dubium omnino videri poterit an & nunc, casu ita obveniente, ut ab Augusta diploma condendum foret, in subscribendo Moguntini Archi-Præfulis, aut imperii Vice-Cancellarii, qui hodie Moguntini officio hac in re fungitur, aliquæ essent partes, an vero ad Fuldensium Abbatem, tanquam Augustæ Archi-Cancellarium, subscriptionis officium pertineret? Non equidem deerunt qui affirmant, (3) excluso Moguntino, soli Fuldensium Abbati jus esse diplomata ab Augustis condita subscribendi; id enim nunquam non ad Archi-Cancellarii munus pertinere; quare nec Augustæ Archi-Cancellario hanc potestatem esse denegandam. Sed verius videtur, quod, salva cæteroquin Reverendissimo Abbati Fuldensi Archi-Cancellarii Augustæ dignitate, subscriptio tamen diplomatum ab Augustis conditarum, mutato licet in nonnullis pristino statu, & nunc ad solum Moguntinum Archi-Episcopum, vel imperii Vice-Cancellarium spectet.

(1) vid. *Chronic. GOTTWICENS. Tom. I. p. 319.* sic apud *HEDAM Histor. Utraject. p. 153.* diploma Mathildis, conjugis Henrici V. Imp. reperitur, in quo hæc subscriptio legitur: Philippus Cancellarius vice Adalberti (Moguntini sc. Archi-Episcopi) Archi-Capellani recognovi.

(2) *De Archi-Cancellar. c. ult.*

(3) vid. *JOANN. GVILIELM. WALDSCHMIEDTS diss. de Augusta imperatricis Archi-Cancellario §. 10. & 14.*

§. XXI.

Ut autem ita sentiam plures suadent rationes. Primo enim nullæ, quantum quidem novi, extant Augusta-



gustarum literæ quibus vel ab ipso Fuldensium Abbatē, vel alio ejusdem vice subscriptum fuerit, sed cunctas, quotquot earum habemus, vel à solo Cancellario, vel à Moguntino Archi-Cancellario, aut ad ejus vicem recognitas videmus. Deinde in diplomatibus imperatorum, quæ Ecclesiæ Fuldensis Præsulibus de hac dignitate concesserunt, præsertim in antiquissimo illo Caroli IV. diplomate de ao. 1358. (1) nulla unquam de Cancellaria Augustæ & diplomatum subscriptione, aut sigilli custodia, mentio injicitur, sed id saltem conceditur: Ut quoties, more vel ordine poscente, corona à capite Augustæ deponi debet, Fuldensium Præsul eandem deponat ac teneat, & etiam reponat, quoties necesse est, sufficienti indicio, hisce terminis Abbatis Fuldensis Archi-Cancellariatum inclusum, nec ad ipsam diplomatum subscriptionem porrectum fuisse, quin potius & hac in re Moguntini Archi-Præsulis jus saluum atque illæsum permanserit, qui, me quidem judice, nec admisisset, ut alius ejusdem munus involaret, & imperatores alii quicquam demandarent, quod ad ejus officium nunquam non pertinuit. Denique cum Augustam ætiffimo connubii nexu imperatori junctam, eandemque peculiari Cancellaria destitutum videamus, haud incongrue factum putamus, si illi, qui imperatoris literis subscribit, eandem quoque potestatem quoad Augustæ diplomata competere asseramus.

(1) apud GOLDAST. *Tom. I. Constit. imper. p. 344.*

§. XXII.

Tandem haud prætermittendum, quod licet recentioribus seculis, inprimis post conditam à Carolo IV. auream bullam, acriter sæpius disceptatum, an venerandum ecclesiæ Moguntinæ capitulum fede vacante ea peragere possit, quæ ad Archi-Cancellarii munus spectare solent, & plures, inter quos & Illustr. à LVDEWIG (1) negantem tueantur sententiam; antiquioribus tamen temporibus hac de re vix dubitatum fuerit. Colligi hæc possunt ex duobus diplomatibus notatu dignissimis, quorum alterum an. M C XI. post obitum Rutharti Archi-Episcopi Moguntini, & cum per biennium viduata remaneret ecclesia Moguntina conditum, legitur in Chartario Reinhartsbornensi (2); alterum vero apud MABILLONIVM. (3) Hisce diplomatibus subscripsit Cancellarius vice Moguntinæ ecclesiæ, quæ nunc Archi-Cancellariatum tenet.

(1) *ad A. B. Tom. I. p. 176.*

(2) apud Clariss. SCHANNAT in *Vindem. liter. collect. I. p. 112.* nec non in *THVRINGIA SACRA Tom. I. p. 70. seq.* In hoc diplomate Henrici IV. Imp. Wormatiæ condito, quo permutationem bonorum à Cœnobio Reinhartsbornensi celebratam confirmat hæc subscriptio legitur: *Adelbertus Cancellarius vice Moguntina ecclesiæ, quæ nunc Archi-Cancellariatum tenet, recognovit.*

(3) in *Annal. Benedictin. Tom. V. Lib. 71. §. 95. p. 543.*

§. XXIII.

Et hæc sunt, quæ nunc, pro exiguo ingenii modulo, de illustri hacce doctrina in medium proferenda, publi-

publicique juris facienda duxi, quæque æquum à te, Benevole Lector, expectant iudicium. Quod si meliora me edoceas, lubentissime victas Tibi dabo manus. Me enim hominem, nihilque adeo humani à me alienum esse, dudum intellexi. Illos autem, qui vitio creati censores, iniquam forte de qualicumque hocce labore sententiam ferre non hæsitabunt, parum curo, memor consilii quod SENECA (1) suppeditat; qui: Magni, inquit, animi est injurias despiciere. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum ex quo peteretur ultio.

(1) de ira c. XXXII.

### COROLLARIA RESPONDENTIS.

- I. Clausula salutaris inanis sepe est & inutilis.
- II. Comparatio literarum nunquam plene probat.
- III. Ad litis contestationem affirmativam speciale requiritur mandatum.
- IV. Mandatum non revocatum censetur, etiamsi ipse principalis, citra protestationem, in iudicio comparuerit.




Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

**COROLLARIA RESPONDERE**

I. Quia...  
II. Quia...  
III. In...  
IV. Quia...  
V. Quia...







00 A 6431

ULB Halle 3  
002 928 116



82

VD 17









DE  
ARCHICANCELLARIIS  
SACRI ROMANI  
IMPERII  
OBSERVATIONES MISCELLAE

QVAS  
INDVLGENTE  
ILLVSTRI JCTORVM ORDINE  
IN ALMA HIERANA  
MODESTO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIVNT  
P R A E S E S  
D. GEORG. FRANC. FRIDERIC.  
HELMERSHAVSEN

ET  
RESPONDENS  
JVLIVS CHRISTIANVS KVNDMANN  
Wratislav. Silef.

---

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
AD DIEM V. AVGVSTI M DCC XL.

---

ERFORDIAE,  
Litteris JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.

4

